









1768/46. 11  
1760

OBSERVATIONES  
IVRIS CIVILIS

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE

TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE

ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. PRID. CAL. MAIAS AN. CIDIDCCLXVIII

AD DISCEPTANDVM

PROPOSVIT

GVLIELMVS FRIDERICVS SIGISMVNDVS

TEVCHERS

FRIBERGENSIS

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA



OBSERVATIONES

PHYSICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

PHYSICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE

ALPHABETICO-METHODICAE



INCLVTAE CIVITATIS FRIBERGENSIS  
AMPLISSIMO SENATVI

---

VIRI EXCELLENTISSIMI, AMPLISSIMI,  
IVRIVM CONSVLTISSIMI, REI  
METALLARIAE EXPERIENTISSIMI,  
PRVDENTISSIMI,  
PATRONI ET FAVTORES  
PIE DEVENERANDI.

**T**anta erga me fuit liberalitas VESTRA et tam insignis beneficentia, vt edendo diligentiae saltem litteris a me praestitae palam specimine, quod sapientissimi Principis leges a cultoribus iuris exigunt, rationem studiorum meorum reddendam esse iudicarem imprimis VOBIS, quorum doctrinae admiratio et teneram meam aetatem litterarum cupiditate incendit, et qui tractationem earum in schola patriae vrbis, cui Deus faueat, a me coeptam, deinde in hac academia continuatam, iunxistis auctoritate et beneficiis. Itaque non dubitavi AMPLISSIMI ORDINIS VESTRI nomen his chartis inscribere, quo animi mei gratissimi aduersus VOS monumentum extaret. Nec debuit me ab ea re deterrere munusculi ex aliena penu petiti co-

gitatio, cum et meum fecerit hunc libellum Amplissimi Praesidis humanitas, et videantur excusatus peccare, qui aliunde petunt, quod offerant, quam qui suo ingenio si **NOMINIBVS VESTRIS** non satis digna proponant. Quod consilium significandae pietatis meae si **VOBIS, PATRES**, non omnino displicere sentiam, non novum modo benignitatis **VESTRAE** liberalitatis quae, de qua perpetuo gloriabor, documentum habeo, sed id etiam animum meum tum ad pertinacem in posterum diligentiam iuris prudentiae litteris quae nauandam, cum ad venerationem **TANTORVN NOMINVM** maioribus rebus declarandum excitabit. Ego vero Numen immortale oro atque obtestor, ut et **ORDINEM VESTRVM AMPLISSIMVM VOS** quae omnes, **DECORA EIVS**, ac singulos, et vniuersam patriam urbem honoribus atque ornamentis florere omnibus quae optabilibus bonis abundare, imprimis autem hoc tempore annuorum **VESTRORVM** magistratuum mutationem faustam fortunatam quae esse iubeat, et omnia publicae salutis consilia **VESTRA** secundet. Quas preces si ratas habeat Deus, **VOS** quae patrocinio **VESTRO, PATRES**, tutela quae me in posterum complectamini, non ego fortunae felicitatis quae meae praesidiis vnquam destituar

## AMPLISSIMI ORDINIS VESTRI

Lipſiae  
VIII. Cal. Maias  
CIDI<sup>o</sup>CCCLXVIII

CULTOR OBSERVANTISSIMVS  
GVLIELMVS FRIDERICVS SIGISMYNDVS  
TEVCHERVS



---

DISPVATIO FORI AB AVGVSTO  
IMP. SVBLATA, STVDIA CAPITONIS.

---

**R**idicula de fori disputatione sententia et **RAEVARD**, viro doctissimo, plane indigna, ab hoc, nisi fallor, excogitata est, creditum que, ueteres iure consultos, si qua de aliquo capite iuris ambiguo et controuerso forte orta fuisset controuersia, eius decidendae causa, quasi indicto concilio, in unum locum conuenisse communi que statuisse suffragio. **RAEVARD**. de auctorit. prudent. cap. XIII. **BACHIVS** Hist. iuris pr. Rom. Lib. II. cap. II. sect. V. §. 3. Quam deserens auctoritatem **BACHIVS** validis argumentis ostendit, temporibus rei publicae liberae id tandem disputatione fori constitisse, quod diuturno tempore eodem modo a iudicibus indicatum esset, et tacita quasi populi consensione receptum. At is debuisse hoc nomen in historia iuris prudentiae nouae omittere, eius que origines et rationes, quibus mutatis et ipsa disputatio fori ab usu recessit, diligentius explicare. Nempe legibus latis coepit, ut naturaliter euenire solet, interpretatione et prudentibus opus esse, qui et actiones componerent, et consulentibus de iure dubio responderent. Quorum quidem magna auctoritas et publica ueneratio, ut et in negotiis priuatim consicien-



dis arbitria eorum plerumque valent, et ad iudices causarum civilium impetrata ab utroque litigatore responsa perferrentur saepissime. Nec si quis ipsos interdum iudices ea expetiisse coniiciat, multum repugnabo, quamquam non habeo idoneum eius opinionis auctorem. Nam oratores quidem et iudices iuris civilis studiosissimos fuisse teneo, praesertim eo tempore, quo turpe erat civi Romano et patricio, ius suae civitatis ignorare, multum que intercedere censeo discriminis iuris consultum et studiosum, cum hoc nomine, quicumque iuri cognoscendo operam vel adhuc navant, vel fideliter praestiterunt, milites, mercatores et alii ad quodlibet vitae genus progressi comprehendantur, illo tantum, qui se responsurum esse de iure vel formulas actiones vel scripturum professus sit, apud ueteres Romanos ueniat. Cum tamen iure consulti inprimis in nodis legum explicandis et soluendis aenigmatibus aetatem consumserint, quis centumuiros alios vel Quiritium iudices de dubia atque ambigua iuris quaestione sollicitos in tanta veterum modestia, quae summam semper doctrinam et peritiam committatur, ipsos etiam prudentum, cum quibus et magistratus de nouo iure edicendo consilia capiebant, oracula adiisse non suspicetur. Sane, quod LEYSERVS scribit, Sp. VI. temporibus rei publicae liberae non magna floruisse iure consultos auctoritate, et artem nostram eloquentiae esse posthabitam, nescio, qua ratione statuerit, quantumuis ipse nolim, iuris peritum maximum maximo oratori anteferre. Vtraque ars eodem honore et habenda



benda semper et ab Romanis habita, nec se indigna uisa Ciceroni persona iure consulti, quam destinaret induere de re publica meriturus etiam senex, laudem que excellentis uirtutis de populo Romano reportaturus. Nondum tamen tanta iure consultorum in foro potestas iis temporibus, ut responsa prudentum pro legibus essent, neque iudices audent ab eorum opinionibus in iudicando recedere. Itaque disputatio fori necessaria, qua rationes diuersarum sententiarum, in quas consulti ab utroque reo abiissent forte, excuterent, et quod sibi in unaquaque causa uerius uideretur, suo constituerent suffragio dati eius noscendae decidendaeque iudices. Ab hac ueri nominis disputatione profectum est illud ius, quod rerum iudicatarum auctoritati adscribitur, et cuius uim a diuturnitate temporis sententiarum que similitudine ortam esse nouerunt omnes.

Sed eius rei facies immutata est imperante Augusto, quo principe tota iudiciorum ratio coepit conuerti eorumque ac iurisdictionis, descriptis nouis finibus, alia forma oriri. Igitur, cum de iuris dictione praeclarissime egerit *ὁ πάλυ* ERNESTVS *Exc. II. ad Sueton.* neque nos possimus communis huius Germaniae praeceptoris doctrinam describenda tam paucis uerbis, quibus ille sciuit rem expedire, uniuersae rei iudicariae forma aequare, nec, etiam si quis posset, post aliorum uirorum doctorum labores amplius opus foret, dicemus tantum de fori disputatione, quibus causis et rationibus imperator eam iustulerit. Nempe is uolebat etiam in foro solus regnare,



gnare, nec periculo sententiarum, quae magis libertati, quam dominationi suae uoluntati quae conuenirent, exponere principatum. Duplex esse genus interpretum, quibus leges tanquam linguis uterentur, intelligebat, iure consultorum alterum, alterum iudicum. Non eo quidem animo erant, quo sunt hodie adeo iure consulti quidam, quos potuisset citius, quam Romanos, inclementiori imperio, quam suo, assuefacere, ut uoluisset omnem priuatae interpretationis libertatem in uniuersum tollere, sed uidebatur tamen ea et erat e rationibus salutis publicae coercenda. Igitur e duobus interpretum ordinibus unum sustulit, iudicibus quae omnem posthac de iure disputandi facultatem ademit. Quod qua lege effecerit, non ambiguum est, scilicet ea, qua iudicibus imposuit necessitatem obseruandi responsa iure consultorum in sententiis suis, uetuit quae ab iis recedere, et quam debuisset **BACHIVS** non tantum Lib. III. cap. I. sect. VI. sed maxime sect. VII. historiae suae commemorare tanquam illustre disputationis fori sepulcrum. Quae enim amplius disputandi materia, ubi nulla nisi obsequii gloria relicta est? Et quomodo tum potuit aliquid iuris e sententiis iudicum nasci, quod ex iure consultorum opinione suam non teneret auctoritatem? Sentio, quid et illi, qui disputationem fori nunquam ab auctoritate prudentum diuersam fuisse, homines Heinecciani, contendunt, et altera potentior aduersariorum pars **BACHIVM** in hac causa ducem sequentium reposituri sint. Isti enim, qua ratione temporibus rei publicae liberae uenerit ius ex responsis,



sponsis, quod disputatione fori iudices non comprobauissent; hi, quidni iudices post Augusti aetatem potuerint talium controuersiarum, de qualibus nullus a litigatore quaesitus respondisset iure consultus, suffragio suo decisionem statuere, explicari cupiunt. Quod quidem utrum que uidetur mihi parum asserre difficultatis. Et enim permulta tribui auctoritati prudentum, quae proprie e fori disputationibus ortasint, nullus dubito. De multis tamen partium controuersis nec hodie solet apud iudices agi, nec actum est Romae, uerum plurimae priuatorum iure consultorum consiliis, arbitriis, transactione fuerunt sopitae, decisaе, compositae. Quin ea est quarundam partium iuris ciuilis natura, ut prudentes magis, quam iudices postulauerint auctores, in quo numero in primis actus legitimos habeo et legis actiones, quod totum genus calliditati iure consultorum debetur. Quaecumque ita sint, atque ipse TVLLIVS Top. V. nec obscure ex auctoribus nostris POMPONIVS cap. II. §. 5. *de Or. Iur.* disputationem fori ab eo iure, quod ex responsis venit, discernant, non opus est aliis exemplis RAEVARDI rationem conuellere. Sed altera dubitatio paullo grauior est. Egregie enim ostendit incomparabilis ille iure consultorum, qui hodie litteras amant, antesignanus, perill. GEBAVERVS *Exc. I. ad Ord. Inst.* iure consultis illis, qui ius respondendi publice beneficio Caesaris non impetrassent, priuatim consulendi potestatem Augustum non ademisse, sed noluisse iudices responsis eorum teneri. Vbi igitur ea in forum attulerant litigatores,

B

tores,



totes, videatur nata iudicibus, et, ad quos lex Augusti tandem interpretatione producta est, cognoscentibus extra ordinem magistratibus per se constituendi materia repetendi que suas decisiones in similibus causis, dum diuturno fori usu saluis Augusti legibus ius perpetuum et commune ex eiusmodi disputationibus oriretur. At mihi res cum intellegentibus harum rerum iure consultis agitur, non eum reorum animum, quo alicuius iure consulti publice respondentis sententiam ad conficiendum aduersarium rogare intermisissent, suspicaturis. Nam aut de dubio iure litigatum, aut de aperto certo que. Hoc constituto iudices nullam inuentionis gloriam potuerunt nancisci: in illis etiam grauissimis controuersis alterutrius certe litigantium causam iustiore esse oportuit, adeo que non deesse iure consultum, qui secundum eam decideret. Sane igitur aut vincendi animum litigatori, aut amantem veri iure consultum defuisse sumturi essent, quorum illud suspicari perquam absurdum, hoc etiam impium et probrosum. Ne quid de frequentissimis appellationibus imperatoris de que iudicum eius temporis imperitia dicam, cum inter ciuiliu bellorum calamitates, iuris ciuilis discendi ardor deferbuisse, ea que inter caeteras causas permouisset sine dubio Principem ad mutandam rei iudiciariae formam. Qua utra que re eo minus euenire potuit, ut iudicibus decidendarum iuris controuersiarum obtingeret fors et fortuna. Quam ob causam et iam **BACHIVS** praeter quartam legitimam quae, haud dubie



dubie e iure consultorum responsis est, aliud confirmandae opinionis suae exemplum laudare nequiuit.

Caeterum an ea res iuris prudentiae fuerit salutaris, disquirere non est meum. Iussi iudices non ponderare iure consultorum sententias, sed numerare, qua re consensu multitudinis posset veritas aestimata videri. Sed hoc per se fragile atque incertum iudicium ab imperatore consilio sapienti correctum est. Cum enim is non omnibus, qui vellent sui que fiduciam haberent, sed iis unice, quos priuilegio suo probasset, publice respondendi facultatem concederet, et horum tantum sententiis honor numeri haberetur, potuit optimum quemque beneficiis suis ornare caeteros que vulgaris eruditionis homines iubere exfortes esse. Atque id ita fecisse Augustum, vel nomina tantorum virorum, quos eam potestatem nactos esse accepimus, eorum que apud posteritatem fama testantur. Nihilominus certum est, in his etiam institutis artem augendae potentiae firmandae que dominationis Caesareae apparere. Verum enim eo pertinuisse hoc consilium, quanquam omnes perspiciunt, nescio tamen, an satis eius rationes sint explicatae a quopiam. Fallor, nisi Augustus unice intendit animum eo, ut larga ipsi constitutionum materia a reis et prudentibus pararetur. Et hanc unam solam causam sectarum fuisse opinor, quibus inde ab eius aetate ad Hadrianum usque diuisos I. Ctos POMPONIUS retulit. Neque enim diuersa philosophiae studia, neque Labeonis ambitio aut utriusque partis aemulatio et inuidia potuissent hoc portentum parere, nisi Augustus



et Tiberius Imperatores obstetricassent. Vidit iam CAR. FERD. HOMMELIUS, uir illustris et omnium rerum, quae ad artem nostram ornandam pertinent, perspicacissimus, Labeonis et Capitonis dissidia e contentione summi iuris atque aequitatis oriri. *Litterat. Iur. L. I. cap. XV. §. 1. nec non diss. pec. de principali causa discessionum inter Laborem et Capitonem horum que sectatores.* Quod uti est omnino verissimum, sic in illo studio aequitatis, quo Labeonis Proculi que familia inclaruit, attentius considerando saepe mihi in mentem venit eius atque eloquentiae comparisonem instituere, quam non secus, atque a multis illam, videas in *dial. de causis corruptae eloquentiae cap. 40.* reprehendi quasi alumnam licentiae, quam stulti libertatem vocassent. Nisi enim utrius que modus teneatur iustissimus, euenit sane, cum seruitutem aequa indignatione repudient ac detrectent, ut frenis et custodia legum remota degenerent in effrenatam intolerabilem que licentiam. Nolim tamen Labeonis studia hac reprehensione digna existimari, qui nihil ratum pensum que habens, nisi quod iustum sanctumque esse in antiquitatibus Romanis legisset, cum ea ratio, ut bene animaduertit BACHIVS, inprimis ad ius publicum pertineat, qui, inquam, ingenii qualitate et doctrina, quoniam et caeteris operis sapientiae operam dederat, plurima innouans, GELLIVS Noct. Att. XIII. cap. 12. POMPONIVS cap. II. §. 27. *de Or. iur.*) nihil aliud egit, quam ut antiquiorum iureconsultorum exemplo atque incorrupta libertate veteres leges ad nouas rei publicae rationes inflecteret, adeo que





que magis sensum earum ingenium que, quam verba et nudos sine mente sanos responsis suis assequeretur. Quae quidem viri libertas Augusto displicuit, utpote his emendationibus gratiam ipsi apud populum inuito, et pro- uocationibus interpositis non alia forte, quam quae La- beoni iusta viderentur, sed tamen alia vi atque in audi- torio principis decreturo. Intelligebat hanc imperato- ris voluntatem Ateius Capito, seruilis ingenii adulator, eam que ob rem nouo rerum Romanarum domino mi- rum in modum gratus. Quid igitur ille? In iis, quae tradita erant, perseuerabat, sectatus legum verba, utrum tempori et moribus conuenirent, nec ne? num ius respon- deret, an iniuriam? valde incuriosus. Nam et idcirco pro- uocationem ad Principem esse, qui corrigendi occasionem magna cum voluptate sit captaturus. Nec potuit virum fallere haec opinio in nouis regni initiis. Quin factum sine dubio est, ut multi istis responsionibus conterriti ne- litis quidem euentum apud inferiores iudices ex iure con- sultorum sententiis expectarent, verum aut adirent prin- cipem, extraordinariam eius cognitionem rogantes, aut rescriptum loco responsi peterent, quo tota causa maiore vi, quam penes priuatos homines iure consultos esset, decideretur. Sic mihi rescriptorum id genus, quod ad rem iudiciariam pertinet, videtur partim in responsorum locum successisse, atque ita sensum ac pedetentim Principes ius constituendi de omnibus rebus sine populi dolore aut ira sibi asseruerunt. Quae nisi male coniecerim, illu- strant etiam nominis rationem, legibus Principum uni-  
B 3 uersis



uersis impositi. Nam et edicta constitutionum vocabulo comprehendi solent, cum saepius emendationes iuris iniqui, quas sciret populo non molestas futuras, palam ediceret imperator, nollet que nouum ius videri sua auctoritate inconsulto Senatu populo que iubere, sed vetera iura interpretari et rescribendo decernendo que repetere. Tanta scilicet modestia veterum imperatorum in constituendis legibus, quam iure recte que praedicauit singulari prolusione de ea re edita summe reuerendus HOMMELIUS. Esse vero hanc propriam verbi constituere vim, ut repetitionem consensionem ve statutorum significet, ostensum est a GRONOVIO Obs. I. 1. Sed ut Labeoni potestas publice iudicibus respondendi in tantis simultatibus traderetur, siue ob gratiam eius auctoritatem ve apud populum factum est, siue etiam eo consilio, ut animum emendandae sententiae non abiicerent litigatores, et interponenda prouocatione salutem sperarent, nisi etiam obtinuit, ut in paribus iure consultorum sententiis, cum iudici, quid decerneret, non liqueret, causa necessario esset ad imperatoris iudicium deferenda, quod ob constitutionem Valentiniani, Papiianam opinionem tanquam Mineruae calculum honorantis, vero non absimile est. Iure consultorum autem suffragia, qui in auditoriis Principum maiorum que magistratuum affiderent, cum antiqua illa fori disputatione nihil commune habere, e diuersis utrius que muneris rationibus facile intelligitur.



II  
DE INOFFICIOSI ACTIONE  
NONNVLLA

Grauiſſimis utrinque argumentis acta eſt contro-  
uerſa de inofficioſi querela uterinorum. Inclinat animus  
in illorum ſententiam, qui eos hodie non repellendos  
ſtatuunt, quamvis eam viderim ab elegantioribus iurecon-  
ſultis plerisque abiectam neque horum argumenta adhuc  
eſſe penitus infirmata. Omnium in hac re ſtudia ſupe-  
rauit I O S. L V D O V. E R N E S T. P V I T T M A N N vir cla-  
riſſimus mihi que amiciffimus, diſſ. doctiſſ. *de querela in-  
officioſi fratribus uterinis haud concedenda*, ubi etiam cae-  
teros utrius que ſententiae defenſores primarios com-  
memoravit, totam que cauſam ſic egit, ut plus cum eius  
eruditione, quam cum legis Conſtantinae auctoritate in  
poſterum uterinis fore negotium videatur.

Quem ad modum vero ipſa querela praeparatur  
interdum, et tamen ab ea mouenda deſiſtitur, interdum  
etiam, qui relinquunt hanc actionem, non videntur eam  
deſeruiſſe, ideo que non prohibentur repetere inchoatam;  
ſic hoc certe tempore, animus non eſt, de uterinorum iure  
in uniuerſum contendere, ſed tantum de ſumtis quibusdam  
ab utra que parte iudicium ferre, quamquam deſtinamus  
alio tempore ipſum diſputationis cardinem aggredi.

Primum miror viros doctos atque in his H E I-  
N E C C I V M *Ant. Rom. L. II. Tit. XVIII.* non  
omnibus modo cognatis verum adeo amicis extra-  
neis datam olim eſſe querelam opinari, eius que rei  
teſtes



testes excitare VALERIVM MAXIMVM L.VII. cap.VII. SVETON. Aug. cap. LXVI. atque ipsum VLPIANVM cap. I. *de inofficis*. Nam a VALERIO quidem nullum amici conquerentis exemplum, quin potius cap. VII. Q. Caecilius Lucullum erga se liberalissimum turpissima fraude praeteriens habuisse funus atque exequias, quales meruit, filium autem heredem que, quem voluit, commemoratur. Nec in T. Marii Vrbinatis, Valerii, T. Barruli et M. Popilii tabulis infringendis, in quibus ille conspectam tantopere reprehendit improbitatem, ausi testatorum amici, quantumvis morientium amicorum ludibria, iudicii centumviralis benevolentiam sperare. Adeo in imperatorum quidem, sed ratorum nihilo minus testamentorum numero ea habuit VALERIVS. Augustus autem, etsi amicorum iudicia morosissime pensitavit, neque dolore dissimulato si parcius aut citra honorem verborum, neque gaudio, si grate pie que quis se prosecutus fuisset, tantum tamen abest, ut Vrbinatem dementiae accusaverit, ut potius legata vel partes hereditatum a quibus cunque parentibus relicta sibi, aut statim liberis eorum concesserit, aut si pupillari aetate essent, die virilis togae vel nuptiarum cum incremento restituere consueverit. Nec si quis e malis principibus se ab amico non exheredari vel praeteriri debuisse apud iudices conquestus esse, aut tabulas manu fregisse reperiat, id ego iure magis, quam iniuria, factum existimarem. VLPIANVS tandem etsi non cap. I. tamen VI. §. i. h. t. videtur quidem hanc sententiam adiuuare, at vereor, ut posterior locus cum priori com-



comparatus eam magis euertat. Vterque ex eodem libro XIII. ad Edictum defunctorum, et quanquam nolim sacramento contendere, uerba inprimis perspicua: *nemo enim eum repellit*: speciei a iure consulto propositae, *si quis ex his personis, quae ad successionem ab intestato non admittuntur, de in officioso egerit*, in commemorato cap. VI. subiuncta neque glossiema esse, neque in mendo cubare, tamen omnia sana esse aduersariis libenter concedam, cum res foret periculi plena, ueterum legum libros sine ulla necessitate aut idonea auctoritate corrigere. Nec ego eo confugio, ut alium longe sensum, *nempe si nemo eum repellit*, quasi particula conditionis tacite repetenda ipsis affingam. Nihil hac torsione opus aut medicina. Quid enim? an Ulpianus extraneorum, qui nullo aut consanguinitatis aut cognationis uinculo coniuncti fuissent cum testatore, commemorat. Nulla ne alia causa, cur ad successionem ab intestato non admittaris? Non ne quis gradu te antecedere potest, te uindicantem hereditatem, cui ille ignotus sit, iudex neutiquam a iudicio repellere? Sane ita est atque similis uisio in ULPIANI disputation. lib. II. cap. XV. D. eod. occurrit. Hae personae, quae ad successionem non admittuntur, et quas de successione agentes iudex tamen non repellit, sunt parentes liberi que ulteriorum graduum, fratres, qui a filiis uel patre matre ue hereditatem non omittentibus excluduntur, qui igitur possunt hereditatem petere siue rescisso testamento siue non, saluis iuribus propriorum intra legitimum tempus petiturorum. Fac eius modi personam de inofficioso egisse forte que obtinuisse, non proderit ei uictoria, sed his, qui habent ab intestato successionem, nam intestatum patrem familias fecit. Cuius rei ratio haec est, quod caeteri, qui sanguine aut cognatione proximi sunt, querelam hereditatem ue non amiserunt, in quo numero et eos haberi oportet, quibus de inofficioso agere lege non licuit, quamuis remotiori alii successori ab intestato, aut qui in eodem gradu esset, licuerit, si verum est, fratres olim, successione ab intestato parentibus antelatos, iisdem esse in ordine querelam mouentium postpositos, aut legibus conuenit,

C

quod



quod passim in Germania obseruatur, germanorum liberos, uterinosque fratres inofficiosi agere non posse. Nam is tantum qui repudiantis animo non uenit ad accusationem inofficiosi testamenti, partem non facit his, qui eandem querelam mouere uolunt. cap. XVII. D. h. t. Quod ipsum aduersarii negant magno cum uterinorum damno. N. O. D. ad D. h. t.

Nec idoneis testimoniis approbatum est, parentes olim fratrem, contra successionis ab intestato ordinem quem refert RANCHINVS de success. ab intest. §. XIII. iure querelae antecessisse. Nam ex cap. 1. D. n. t. cuius uerba admodum generalia sunt, illa sententia non tuto colligitur, non magis, quam si haec: *cognati enim proprii et qui ultra fratres sunt, melius fauerent, si se sumtibus inanibus non vexarent*, forte abessent, fratrum inde repulsam ab hac querela, etsi superiore regula: *omnibus enim tam parentibus, quam liberis, licet disputare*, non comprehensorum conicere posses. In cap. XIII. et XV. D. nec non const. XXVIII. C. eo tit. nullum plane huius opinionis fulerum aut praesidium reperio, atque una dialecticorum praeceptione, a silentio scriptorum ualidas argumentationes non duci, uideor mihi omnes aduersarios huius causae conficere.

Fratres autem forores que etiam ante Constantinum imperatorem institutis inofficiosi actionibus non potuisse, nisi turpes personas heredes scriptas, ab hereditate summouere, admodum dubito. VLPPIANVS libr. XXXX. ad Sabin. cap. XXIII. D. eod. ait: *Circa inofficiosi querelam euenire plerumque assolent, ut in una atque eadem causa diuersae sententiae proferantur. Quid enim, si fratre agente heredes scripti diuersi iuris fuerint? Quod si fuerit, pro parte testatus, pro parte intestatus decessisse videbitur.* Quis, quaequo, non inducat animum, diuersi iuris heredes commemorari, quoniam turpes repellere, probos autem atque honestos remouere frater nequiuert mota querela. Nam si PAVLLVM in medium adducas, dicentem cap. XXI. §. 1. eod. Quantum ad inofficiosi liberorum vel parentium querelam pertinet: nihil interest quis sit heres scriptus, ex libe-



liberis, an extraneis, vel municipibus, non satis ex hac, cuius hic mentionem fecit, heredum diuersitate elucescere videatur, contra quos agens frater, vt alter pro parte testatus, pro parte intestatus decesserit, ex mente VLPIANI efficiat, cum e contrario naturale sit, si turpis heres repellitur, atque alter honestior e iudicio victor discedit, quasi et a testato et ab intestato succedi. Neque tamen contendam cum quoquam de ea re perrinaciter. Caeterum M. Anneii, sine dubio ante patris naturalis mortem ab adoptiuo emancipati, (vid. tamen SCHVLTING. ad VALER. MAXIMUM l. l. Terentii que victoriae animum meum non frangunt, perseverantem in ea opinione, inofficiosi actionem tempore magis dilatata, atque ad alias personas productam, quam a remotioribus unquam, quam fratribus, utiliter institutam sensim que tantum ad eos, quibus portio legitima deberetur, restrictam fuisse. Nam etsi cognatos proprios interdum eam actionem mouisse largior, non tamen ad Vlpiani tantum, sed et ad antiquissima tempora pertinent, quae sapientissime monuit, melius eos facere, si se sumtibus inanibus non uexarent, cum obtinere spem non haberent. Quae quidem sic esse intelligenda, vt ea certe aetate spem obtinendi nunquam habuerint, haud ambiguum est.

Vbi vero posthac iterum hunc locum ingrediar, conabor melioribus argumentis confirmare Boehmerianam sententiam, eundem successionis ab intestato et querelae ordinem esse, quamuis ius querelae in propiori gradu, quam successionis ab intestato non rescissis testamentis consistat, cui rationi omnis uterinorum causa innititur. Sane in ipsa querela et in iis, quibus eam lex concessisset, edicto successorio locum fuisse, ne aduersarii quidem negare audent, testatur que classicus homo, PAVLLVS, e cuius de centumuiralibus iudiciis libro cap. XXXI. D. h. t. desumptum est; *Si is, qui admittitur ad accusationem, nolit aut non possit accusare: an sequens admittatur, uidendum est, et placuit, posse, vt fiat successionis locus.* uid. cap. XIII. et XVI. cod.



## III.

## CAVTIO MUCIANA.

Quis Mucianae Cautionis inuentor et quod genus conditionum eam necessariam reddat, notissimum est, in eius que rationibus explicandis, ne caeteros e Lippenio omnes commemorem, BALDVINVS, (*in iuris prudentia Muciana*) BRENCMANVS (*de Heurematicis XII. 1.*) MAIANSVS et peculiari dissertatione apud nos habita IOH. LVDOVICVS CONRADVS, vir celeberrimus, amicus meus valde carus, nobilem inprimis operam collocauerunt. Liceat tamen apud hunc notare duas sententias, de quibus nunquam potuit priuatim inter nos conuenire. Primum enim de causa et necessitate inuenti sic scribit, ut legatum sub conditione non faciendi relictum uelit impleta conditione esse etiam ante Mucium in heredem iure translatum: at Mucium tantum legatariis, ne commodo rei legatae fructu que per omnem ipsam carendum esset, arte et consilio subuenisse. Quod ita fateor a plurimis tradi magnam que habere veri speciem, at id tamen §. XXXV. I. *de legatis* repugnat. Etenim cum iure antiquo neque ab herede neque contra heredem ulla actio inchoari posset, cap. VIII. C. Th. *de diuers. reser.* §. XIII. I. *de inutil. Stipul.* et ante const. un. C. *ut actiones ab herede et contra heredem*, de qua vid. CUIACIUS *Obs.* III. 34. inter alia fidei commissorum et legatorum discrimina etiam hoc esset, quod post mortem heredis aut legatarii inutiliter legaretur, veluti, quae uerba sunt imperatoris §. XXXV. *de legat. si quis ita dicat, cum heres meus mortuus erit, do lego: Item: pridie quam heres aut legatarius morietur, uidetur mihi maius Q. Mucius beneficium praestitisse legatariis, quam a doctissimo CONRADO agnitum est, et cautione interposita, ut ex inutili fieret utile tale legatum, quale sub conditione, si Capitolium non ascenderis, similibus que relictum esset, praeclaro ad posteritatem exemplo, quod crebra imitatione in constans et perpetuum ius abiit, meruisse. Nam si legatarius cauere, se nunquam facturum, quod testamento facere prohibitus est, legatum protinus*

con-





consequitur, quasi conditione iam existente. Atque illam inuenti Muciani necessitatem recte iudicauit BRENQVMANVS, quem debuisset CONRADVS in ea re sequi. Nam omnem dubitationem sustulit IULIANVS cap. CVI. D. de Cond. et Dem.

Sed peritis lectoribus potest aliqua dubitatio subnasci, et heredis damnus, ex accepta cautione metuendum, haberi causa eius repudiandae palpabilis, omnem consilii Muciani vim ante Iustinianum impeditura. Etenim si legatum inutile est, quo modo priuatus iure consultus ad id praestandum heredem coegerit? Aut si quis heres sponte soluerit, qui potuit tanquam Mucii beneficium celebrari, quod ea ratione admissa heredis fuisset? Fac Titium coram testibus duobus legare Maeuio centum, nec subsistere codicillos: Sempronium autem iure consultum suadere cupido legati Maeuio, ut Titianis heredibus caueat, se, si codicillis similibus olim ad aliquid dandum damnetur, accepto hoc legato idem iuris in se statuturum et absque publicae legis imperio rem relictam Titii successoribus praestitutum esse. Plus tu in ea re Sempronii ingenium, quam Titianorum heredum, si accipiant forte conditionem, beniuolentiam miraberis? Habebis Sempronii beneficium, quod ipsorum est? Aut qua ratione ex horum singularibus pactio- nibus, si a Caii olim heredibus coram testibus duobus legatum sit, necessitas eadem contione accipienda rem legatam praestandi, qui igitur ex priuatorum singulari conuentione et iure consulti sua- dentis eam consilio ius publicum orietur? His memini ratiunculis meam et Brenqumani rationem cautionis Mucianae inueniendae ridere uirum aliquem non indoctum suauiter, conari que uulgaris opinionis a clarissimo CONRADO allatae ueritatem defendere. Sed salua res est. Nempe quicquid formularum vitio accidebat, id inuectores formularum iure consulti debebant cautionibus consiliis que corrigere, ne leges ipsas imperio actionum subuerterent. Atqui non duodecim tabulae nec nouae leges aut edicta magistratum, ut ab herede et contra heredem actio inchoari non posset, statuerant, sed totam regulam iureconsultorum cura excogitarat.



Igitur debuerunt arte efficere, ne ea res legatariis esset damnosa, potuit que adeo Praetor naturalem rationem secutus, ut legibus P.R. reuerentia haberetur, debuitque unum quemque heredem cogere ad legatum soluendum, accepta cautione legatarii, se, quod testator prohibuerat, non esse facturum.

Praeter ea mihi videtur doctissimus CONRADVS in eo errare, quod heredem ex asse statuit, (nam et ad heredem remedium Mucianum produxit interpretatio) quamuis sub conditione non faciendi institutum, tamen nemini de implenda conditione cauere, potius eam pro non adiecta habendam esse. Contrariam opinionem BALDVINVS, reprehensus CONRADO, quasi in eo non leuiter errauisset, defendit. Ac primum quidem CORRADVS, cui tandem cautio ista praestari debeat, quaerit. Heredibus enim ab intestato non posse, cum ubi testamentum sit, huius tantum modo, qui eo heres sit factus, reliquorum omnium nulla ratio habeatur. Neque vero tum pendere ius testamenti, sed quoniam quod testamento mandauisset testator, illud curari non possit, certum salutis et aequitatis perfugium in mitiore interpretatione unice reperiri: igitur hanc conditionem pro non addita haberi. Deinde grauioribus verbis, quam uellem: Quid autem hoc loco est, inquit, quod requirendum maxime putemus. Nempe quod ignorari ab iis, qui in interpretatione iuris uersantur, turpissimum uideri debet, non animaduersum est ab his, qui contra sentirent, disertis verbis sic haberi cap. VII. D. de cond. et demonst. cuius huc maxime verba referenda sunt haec: si ex asse sit institutus maritus sub ea conditione, quoniam non est, cui caueat, non impedire eum, quo minus adeat hereditatem. Nam iure ipso uidetur impleta conditio eo, quod non est, quem possit de dote conuenire ipse, adeundo hereditatem. Miror, qui potuerit CORRADVM singularis ratio huius sententiae Vlpianianae latere. Scilicet maritus, si solus uxoris heres est, non potest dotem sibi ab ea promissam amplius petere, cum sit actio obligatio que confusa, nemo que sui ipsius debitor esse queat. Igitur tunc euanesceit conditio

conditio naturaliter, nec iuuat hoc responsum Vlpiani Con-  
 radinam opinionem ullo modo. Quam sane, nisi melius, certe spe-  
 ciosius confirmare potuisse laudato cap. IV. D. de cond. inst. Ibi  
 enim VLPIANVS: *Idem Iulianus scribit, eum, qui ita heres  
 institutus est, si seruum hereditarium non alienauerit, cauentem  
 coheredi implere conditionem. Caeterum si solus heres scriptus sit,  
 sub impossibili conditione heredem institutum videri. Quae senten-  
 tia vera est.* Sed ne illa quidem auctoritas efficit, ut Conrado  
 subscribam. Non enim uideo, quidni heres sine coherede insti-  
 tutus cauendo ab intestato heredibus conditionem implere pos-  
 sit, et quae eum ratio ab eo facto prohibeat, aut cur in heredibus  
 ex parte possibilis sit conditio, in caeteris ex asse heredibus  
 impossibilis futura. At mihi follenne carmen: non omnium,  
 quae a maioribus constituta sint, rationem reddi posse, occinitur.  
 At forte improbum hominem, et magis suo ingenio, quam legi-  
 bus obtemperantem, aliqui lectores me criminabuntur. Bona  
 uerba, quaeso: non est mihi tanta, quantam suspicemini, o boni,  
 cum Iuliano Vlpiano que discordia. Nempe de herede, qui et  
 ab intestato venturus fuisset, venerabiles illi iure consulti uerba  
 fecerunt. Atque in hoc verissimum est, quod scribunt, sub  
 impossibili conditione institutum esse heredem. Quod quo modo  
 in herede, qui scriptum coheredem non habeat, neque tamen  
 ab intestato successurus fuisset, defendi possit, non uideo. Nam si  
 aditionem hereditatis commemoros, quae tanquam actus legiti-  
 mus non potuisset sub conditione explicari, primum conditio-  
 nem iam impleuit, nempe sic, ut facturus post ea, quod interdixit  
 testator, non desiturus sit heres esse, sed omnem aestimationem  
 hereditatis, actione ex stipulatu conuentus, heredi ab intestato solu-  
 turus: deinde, si ea cautio actum legitimum uiciaret, non magis  
 posset coheres coheredi scripto cauere. Valeat itaque ea inter-  
 pretatio, quae uicio caret, et Vlpiani Iuliani que sententiam  
 declarat rationi consentaneam.

HVMA-

HVMANISSIMO DOCTISSIMO QVE  
GVL. FRIDERICO SIGISMVND  
TEVCHERO

S. P. D.

IOH. THEOPH. SEGERVS


**G**um in eo essem, vt TIBI argumentum aliquod disputationis e iure publico Germanico, quod speciatim ad sacrorum rationes pertineret, pararem, coegisti me in cancellos iuris ciuilis, e quibus stilum atque animum scribendi publice iam aliquoties frustra reuocaueram, caussatus, uelle TE de eo iure colloquium instituere, cui scires plurimam studiorum TVORVM, quae adhuc egisses, partem impensam. Quid facerem? Obscurus sum, et arcessiui ex aduersariis non eruditionem praeclaram, sed etiam amicitiae obsequendi uoluntatem ostensura. Quamquam uolebam initio in ea re TIBI cedere, quem noram caeteris quoque sapientiae operis atque omnibus publici priuati que iuris disciplinis insignem et fructuosissimam diligentiam nauasse, esse que tuis ingenii dotibus instructissimum, quibus eximia artis nostrae cognitio facillime comparatur. Sed uicit tandem TVA modestia, vt in omnibus actionibus TVIS, HVMANISSIME atque AMICISSIME IUVENIS, ita in hac etiam uoluntate conspicua: uicit etiam animum meus amor TVI, uirtute TVA, doctina, humanitate, praeter ea communium praeceptorum et carissimae urbis, quam patriam colis, memoria mirum in modum conciliatus. Cape igitur has obseruatiunculas leues, eas que TVA defensione, id est, eruditione et ingenio TVO orna atque illustra. In qua re uti nomen amoris TVI, quo me prosequeris, documentum agnosco, ita ut ea, TIBI, VIR OPTIME, ad laudem publice consequendam utilis sit, neque tantum Amplissimi Ordinis, cui libellum inscribere sustines, beneuolentia tutela que in posterum perfruaris, sed ad clarissima etiam rei publicae, quae bene TE administraturam esse certus sum, munera olim aduocaris, sis que omnibus omnino bonis, quibus felicitas humana censetur, cumulatissimus, Dum O. M. oro obtestor que. Bene uale, CANDIDISSIME TEVCHERE, me que in omnium rerum, quae TIBI in utramque partem accident, societatem semper venturum amare ne desine. Scr. Lipsiae IX. Cal. Maias an. MDCCLXVIII

Leipzig, Diss., 1768 P-Z

X 241 7957







1768, 46. 11  
1760

# OBSERVATIONES IVRIS CIVILIS

ILL. I. CTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

## IOH. THEOPHILO SEGERO

IVRIS SCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORE  
TITVLORVM DE V. S. ET R. I. ANTECESSORE

ORDINARIO COLLEGII I. CTORVM SODALI

A. D. PRID. CAL. MAIAS AN. CIOIDCCCLXVIII

AD DISCEPTANDVM

PROPOSVIT

## GVLIELMVS FRIDERICVS SIGISMVNDVS TEVCHERS

FRIBERGENSIS

---

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA

